



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 7. Patientis Christi amor.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

arenarum sunt, terræ, sive arenæ; ex una in alteram partem commutatio illas efficit. Illam enim horam suam homo existimat, quæ terreni boni possessio ab altero in ipsum commutatur. At horam Christi non terreni boni commutatio, sed ardens sol, efficit, id est, ardens amor. Barradius tom. 4. l. 2. c. 5.

## §. VI.

*Passionem suam Christus vocat modicum, leve: cupit plus pati.*

*Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Gen. 29. 20. Laborem leviabat amor. Item videtur male dixisse; cum potius dicere debuisset: videbantur ei dies multi: quoniam animo desideranti ipsa velocitas tarda est. Solutio: sic intelligendum est: videbantur illi pauci, dies id est, labor diuturnus parvus comparatione mercedis. Et Christus levia, & brevia, reputavit, quæ pro Electis sustinuit. Hugo Card. hic.

*Caput meum plenum est rore.* Cant. 5. 2. sputa, flagra, reputat velut minutas roris guttulas. Bæza t. 3. l. 14. c. 22. §. 1.

*Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Matth. 20. 22. Poculum dicit martyrium, & suam mortem: simul ostendens; quod leve sit; & quod oporteat nos tam facile illud aggredi, quam si poculum esset poculum; & declarans, quod ipse suaviter accedat mortem. Sicut enim bibens poculum statim dormit gravatus; sic & qui martyrii poculum bibit, in mortis somnum defertur. Theophylactus hic.

*Deus meus! Deus meus! ut quid derelinquisti me?* Matth. 27. 46. Plura pati paratus erat. Ed enim hæc verba spectare avertat V. Beda. q. d. ut quid tam Pater, quam vires, & vita, me derelinquunt? graviora tormenta, & diuturniora perpeti non recuso. Drexel. Delic. gent. hum. p. 3. Christus moriens c. 4. §. 1.

*Modicum, & jam non videbitis me.* Joan. 16. 16. q. d. tempus Passionis meæ, & mortis, breve est; unico triduo concludetur; & mox resurgam. Recipite ergo brevitatem doloris, & degaudij longitudine consolationem. Sylveira hic cap. 18. Dum vita celestis non perditur, parva sunt, & modica quævis alia detrimenta. Sanguineum sudorem, tot opprobria &c. omnia modicum vocat: dum suorum membrorum vita celestis conservetur: modica, & parva sunt meo Jesu quævis alia detrimenta. Bæza t. 3. l. 14. c. 22. §. 1.

*Sitio.* Joan. 19. 28. Quod mulieri uni Samaritanæ dixerat. Joan. 4. 7. *da mihi bibere;* hoc in cruce nunc fixus omnibus ait: *sitio.* Vos inquit, volo, vos cupio, vos corpori meo unice, vos mihi associare, sitio. Fons vitæ erat, & tamen sitiebat: aquam pro *Polyantha Sacra. Tom. II.*

mittebat, & bibere cupiebat. Sitiebat nos, & dare se nobis desiderabat. Sitis hæc de ardore dilectionis, de amoris fonte, de latitudine nascitur charitatis. S. Laur. Just. de triumph. &c. c. 19. Habuit & aliam sitim, puta amplius patiendi, atque evidentius suum demonstrandi, amorem. Nondum satisfactum est cordis mei desiderio; amoris mei flamma nequiquam relictæ est. Etenim, si fieri posset, & Patri gratum foret, vel millies ob salutem omnium vestrum crucifigi, & ad extremum usque judicij diem in hæc miseris, doloribusque hic pendere optarem: tantum ut immensum cordis mei amorem testatum reddere, saxæque pectora vestra emollire, & ad me amandum accendere possem. Lud. Bloisius Margar. spir. c. 18. Sitiebat: quia amor non erat repletus dolore; licet corpus diversis vulneribus afflictum esset. Stella de amore Dei Med. 11.

*Infer digitum tuum huc.* Joan. 20. 27. S. Chrysol. l. 35. Thomas Apostolus, ut Christum Deum crederet, immisit manus, patefecit vulnera: & ut Christum crederet, iterum pati compulit Christum. Si *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur;* imò quia jam moriturus non est, quodammodo cogitur rursus pati: quia tanto amatori durum, non posse pro singulis errantibus oculis toties pati, & occidi, quoties à grege separantur. Escobar tr. 3. Coll. Chr. l. 3. sect. 1. obl. 3.

*Christus non sibi placuit.* Rom. 15. 3. Quomodo Christus, cujus Persona divina est, & meritò infinita, sibi non placuit? Quid pro nobis non egit? quid non tulit? unum ex ejus operibus, cujus valor est infinitus, sit erat pro nostra salute. Præ amoris flamma in nullo tormento sibi placuit; sed plura voluit sustinere. Et tamen nostra merita exigua ei maxime placere dicit Paulus. Colofs. 1. 10. *Deo per omnia placentes.* & Rom. 12. 1. *exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, Deo placentem.*

*Adimpleo ea, quæ desunt Passioni Christi in carne meâ.* Colofs. 1. 24. pro verbo *adimpleo* Syriacus legit: *suppleo.* Chrysol. adeo nos diligit Christus, ut, tanquam non sufficient prioribus passionibus, & afflictionibus, post mortem etiam patiantur in meo corpore: non enim contentus est morte; sed adhuc innumerabilia facit. Sylveira in Match. 27. Joan. 19. cap. 18.

## §. VII.

*Patientis Christi amor.*

Num. 1.

*Ex Veteri, & Novo.*

*Quare sic attenuaris macie fili regis?* dixitque ei Ammon - amo. 2. Reg. 13. 4.

002

Quare

Quare ex Christo in præsepiti, in deserto, in cruce, frigore, maceie, languore, ætus, siti, cruciatibus confectio: quare sic attenuaris filii regis? cur files, cur tristis? aut angeris? cur moreris? respondebit: amo. Doultreman de am. l. 2. amor patiens.

*Et exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum.* Matth. 26. 53. Ad quid tanta Angelorum multitudo? *plus quàm duodecim legiones Angelorum?* Unus Angelus sufficit ad occidenda centum octuaginta quinque millia in exercitu Sennacherib. 4. Reg. 19. 35. Et in Ægypto unus Angelus interfecit omnia primogenita Ex. 12. 29. Cur ergo contra unam militum cohortem tot millium Angelorum exercitus proponit? In Sennacherib, & Ægypto, pugnabatur contra potestatem; at verò hic non solum dimicandum erat contra potestatem, sed potius contra amorem; qui totis viribus pro hominum salute decertabat. Hinc ait Petro: *converte gladium in locum suum.* Matth. 26. 52. Cur Domine non sis Discipulo pro te dimicare? Cùm Christus orasset in horto, Pater, *si possibile est &c.* & oratio non fuisset exaudita; aperte declaratum est, quòd amor negotium hominum agebat, & pro illis stabat: ideo ait Petro, reconde gladium. q. d. contra amoris vim nulla arma prævalent, nec lucta orationis meæ. Sylveira hic. cap. 3.

*Et venerunt in locum &c.* Matth. 27. 33. Nota, quòd Dominus passus est in maximo fervore diei: ad innuendum, quod ex maximo fervore charitatis patiebatur; & quòd per hoc maximè accendi debebat terra cordium nostrorum. Hugo Card. in Matth. 27.

*Dicebant excessum ejus.* Luc. 9. 31. Non videtur commodè factum, quòd Moyses, & Elias, diem tam larum rerum tristissimarum commemoratione interpellarunt. Macrobius l. 7. Saturn. c. 1. & 2. docet, locis, & temporibus, aptare sermones. Qui venatibus gaudet, interrogetur de sylvæ ambitu; religiosus si adest, da illi referendi copiam, quibus observationibus meruerit auxilia deorum. Si senex præfens est, eum interroga, quæ ad illum pertinent. Christo nil gratius erat, quàm audire de excessu suo. Loquebantur de excessu. Textus Græcus apud Chrysol. & Euthym. habet: loquebantur de *doxa*, id est, *gloria*. 1. Cor. 11. 26. *quotiescunque manducabitis mortem Domini annuntiabitis.* S. Chrysol. l. 69. Crucem ascendit, sepulchrum patitur, Ascendere ex Scripturæ usu significat quietem, & gloriam. Ibi se pati existimat, ubi quiescens non patiebatur; & conquiescere, ubi patiebatur. Did. Nifs. D. 2. Quadr. §. 7. Excessum rectè nominat Passionem: quia in ea fuit excessus humilitatis. Philipp. 2. 7. *semetipsum exinanivit &c.* Fuit excessus paupertatis. Thren. 3. 19. *recordare paupertatis &c.* Fuit excessus doloris. Thren. 1. 12. *o vos omnes - si est dolor &c.* Fuit etiam excessus amoris. Ephes. 2. 4. *propter nimiam*

*charitatem suam.* S. Bonaventura in Luc. 9.

*Da mihi bibere.* Joan. 4. 7. Mysticè fons iste, super quem ascendit D. N. J. C. est sancta Crux. Super hunc fontem sedebat Dominus: quia Passionem, & mortem, summam mentis tranquillitate portavit. Quanto autem charitatis amore Christus pro nostra redemptione federit in Cruce, manifestat Evangelista dicens: *hora quasi sexta.* Joan. 19. 14. id est, summò charitatis, ac dilectionis, ardore: & in summo æstu Passionis, ac mortis scilicet pro nobis se posuit Filius Dei Christus. S. Bernardinus tom. 2. f. 31.

*Quod facis, fac citius.* Joan. 13. 27. Festinabat ex animo ad redemptionem perditorum, etiam ipsius Judæ tradentis; nisi desperationem posuisset in obicem. Fervebat desiderium Salvatoris velut amor impatiens in humanam salutem. Impatiens est ad amatum amor, cùm pro ipso redimendo festinat ad poenam; per amplius amor Christi, qui se accelerabat ad mortem. Sim. Cais. l. 13. c. 4.

*Charitas Christi urget nos.* 2. Cor. 5. 14. alij legunt: *passio Christi urget nos.* Fernaandus in Gen. 10. 11. sect. 10.

*Pedes ejus sicut in camino adenti,* Apoc. 1. 15. S. Gregor. hom. 2. in Ezech. expendens illud Is. 31. 9. *dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, & caminus ejus in Jerusalem,* plus est caminus esse, quàm ignem: quia esse ignis & parvus potest; in camino autem vastior flamma succenditur. Non sine mysteriò pedes Christi non tantum in igne, sed in camino apparent: nam licet Christus per omnem vitam à primo instanti suæ acceptionis fuerit in igne charitatis erga nos; sicut visus Moyfi in rubo. Ex. 3. 2. per quod incarnationis mysterium denotatur, juxta S. Cyrill. Alex. tamen modò pedes ejus, id est, ultima vitæ periodus, non dicuntur esse in igne, sed camino, seu fornace ardenti. Joan. 13. 1. *cum dilexisset suos - in finem dilexit eos.* Sylveira hic.

### Ex Patribus.

Quid commisisti dulcissime puer? ut sic judicaberis. Quid commisisti amantissime juvenis; ut ita tractareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio damnationis tuæ? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ fugitium. Ego tuæ Passionis livor, tui cruciatibus labor. O mirabilis censuræ conditio! & ineffabilis mysterij dispositio! Peccat iniquus, & punitur justus: delinquit reus, & vapulat innocens: offendit impius, & damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus: quod perperat servus, exolvit Dominus: quod committit homo, sustinet Deus. Quò Nate Dei, quò tua descendit humilitas! quò tua flagravit charitas! quò processit pietas! quò excrevit

vit benignitas! quò tuus atigit amor! Ego enim iniquè egi; tu poenâ mulctaris: ego facinus admisi; tu ultione plecteris: ego crimen edidi; tu torturâ subiceris: ego superbi vi: tu humiliaris: ego tumui; tui attenuaris: ego inobediens extiti; tu obediens scelus inobedienciæ luis: ego gula parvi; tu inediâ afficeris. Ego fruor delicijs; tu laniaris clavis: ego pomi dulcedinem; tu fellis gustas amaritudinem. S. August. lib. Medit. c. 7.

Pati pro subjectis, pro servis mori; insigne est charitatis immensæ documentum; singularis est hoc amoris argumentum. S. Chrysol. f. 6. de proditore, & myst. Cœnæ Dominicæ.

Ergo hæc prima causa est Dominicæ Passionis: quia sciri voluit, quantum amaret hominem Deus; qui plus amari voluit, quam timeri. Idem ibidem.

Si non diligeret, non pateretur: & in Passionis rubore maxima, & incomparabilis, ostenditur charitas. S. Bernardus lib. de Passione c. 41.

Hic maximè apparet charitas ejus; quæ corda nostra totaliter deberet concremare. S. Bonaventura Medit. Vitæ Chr. c. 74.

Tam ardens, & incontinenens, est Dei amor erga nos: ut si mors, & Passio, Christi ad salvandum hominem non sufficissent, etiam Pater cœlestis, & Spiritus S. quoque humanam assumpsissent naturam, ac pro homine mortem subissent; quàm eum perire sivissent. Lud. Blot. in Appendice.

Tot vulnera, tot ictus in sacratissimum tuum corpus commisi, maximum certè amorem nobis annuntiant, & firmissimè protestantur. Sed non omnem amoris magnitudinem asserunt: nam procul dubio multò major erat amor ille, qui interitus urebat in cordo tuo, quàm exterius videbatur. Hæc vulnera saltem sunt scintillæ amoris interius inclusi; rivulus ex infinito isto mari originem trahens. Stella de amore Dei Medit. 16.

Num. 2.

*Patientis amor sibi malè, nobis benè.*

*Ex Veteri, & Novo.*

*Lavabit in vino stolam suam.* Gen. 49. 11. Demonstrat lætitiã ex Passione procedentem. Oculi ejus gratiosi præ vino: poculum enim Passionis, lætitiã est totius orbis. B. Theodoretus q. 109.

*Tollat unusquisq; agnum per familias suas.* Ex. 12. 3. &c. Jubet Deus agnum jugulari, pelleque detractâ, carnem assam, celeriter manducari; at ossa integra voluit permanere. Paulus ad Eph. 5. 32. scribens explicat illud factum; quando Dominus Evam ex ossa Adæ formavit, & ait: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo, & Ecclesia.* Dormiente Adamò Dominus ab

eo costam eduxit, & replevit carnem pro ea. Gen. 2. 21. Itaque Adamus Evæ os & fortitudinem dedit; Eva autem ei pro compensatione carnem, & infirmitatem communicavit. Mysterium hoc significavit id, quod inter secundum Adam Christum, & ejus Ecclesiam, futurum erat: ipse namque ei fortitudinem largitus est, sicut innumerabilis multitudo Martyrum testatur; Ecclesia autem suo sponso infirmitatem: nam per illam assumpsit carnem humanam, quæ pavere, & toedere, cœpit. Vult ergo Dominus, ut caro agni torqueatur; ossa verò illæsa maneat: insinuans, carnem illam sanctissimam Unigeniti Filij sui flagellis torquendam esse; & in cruce tormentorum igne affligendam: dummodo homines, quibus ipse fortitudinem suam daturus erat, à divina ira immunes remanerent: nam caro agni carnem Christi significabat; os autem Ecclesiam. Diez, Amor. proximorum.

*Tulerunt Jonam, & miserant in mare.* Jon. 1. 15. Jonas, columba pulcherrima, naufragiò suò Passionem Domini præfigurat. S. Hieron. ep. ad Paulinum. apud Cornelium in Jonam in Argumento. *Liber generationis Jesu Christi.* Matth. 1. 1. Nomen Jesu proprium est, id est, *Salvator*; quò, ut ait Rupertus, divinitas indicatur: proprium enim est Dei salvare. Christi cognomen est dignitatis, id est, *univus*. Reges enim, Sacerdotes, Prophetæ, ungebantur: ut Saul 1. Reg. 10. 1. David 1. Reg. 16. 13. Salomon 3. Reg. 1. 39. Sacerdotes Ex. 29. 7. Levit. 8. 12. Prophetæ, ut Elifæus 3. Reg. 19. 16. Nomen Jesus sibi retinuit, & nobis nomen Christus communicavit; unde credentes dicti sunt Christiani. Act. 11. 26. Jesus nomen salvandi, & redimendi est; Christus verò cognomen dignitatis, ac regis majestatis. Sibi ergo reservabat, quod Passionem, & Crucem importabat; nobis verò id, quod splendorem gloriæ innuebat, comunicavit. Sylveira hic q. 8.

*Ecce ascendimus Jerusalem &c.* Matth. 20. 18. S. Chrysol. supplicium mihi paratum; salus verò omnium hominum communis est. Apud Did. Nis. Sabbacho D. 4. Quadr. §. 3.

*Dormite jam, & requiescite.* Matth. 26. 45. O grandis amor! verè in finem dilexit eos; cum in tanta positus agonia eorum procurat quietem. S. Bonaventura Medit. vitæ Chr. c. 75.

*Unus à dextris, & unus à sinistris.* Matth. 27. 38. Ecce quomodo Sanctus sanctorum inter facinorosos suspenditur, & reputatur: ut nos scelerati, ac perdit, inter sanctos Dei, & Angelos collocemur. Dion. Carthus. hic.

*Uti quid dereliquisti me?* Matth. 27. 46. Ideo Christus est derelictus in poenis, nè nos derelinqueremur in peccatis: ut ipsius derelictio

licio sit nostra liberatio peccatorum. Ideo derelictus in pœnis suis, nè nos derelinqueremur, cum patimur in nostris. Ideo derelictus in pœnis temporaliter, nè nos æternè in Inferno damnemur. Sim. Casl. l. 13. hic.

*Ego sum lux Mundi.* Joan. 8. 12. Christi in nos amor sibi calorem usurpat, nobis lucem relinquit. *Ego sum lux Mundi.* q. d. vobis homines lux sum, mihi ignis; vobis suavis, mihi durus; vobis quietem relinquo, mihi laborem assumo. Olim dicebam: Sabbathum meum calix vester: nunc Sabbathum vestrum calix meus. Did. Nifs. Sabbatho D. 4. Quadr. §. 3.

*Quem quaritis?* Joan. 18. 7. Timuit Jesus mortem, Judæorum cohortem, Judam proditorem; sed leone animosiorum reddidit amor: in hostiles acies impavidus irruit, dicens: *quem quaritis?* Velut propugnaculum ante Ecclesiam suam sponfam, Apostolos, seipsum constituens: dum vinculis tradit manus, jubet in columas Discipulos abire. Arcones in If. 2. 2. Disc. 4.

*Si ergo me quaritis, sinite hos abire.* Joan. 18. 8. Quanam hæc consequentia? Certè amans ardentissimè, quasi consequentia vi, cum ipse patitur, reputat se toti Passioni singulariter addicendum, ad omnimodam dilectorum incolunitatem. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 3. sect. 1. obf. 4.

*Sitio.* Joan. 19. 28. Nonne ex aperto latere fluxit sanguis, & aqua? quomodo ergo sitit, si aqua fluentea habet in pectore? Quia his undis homines erant abluendi, Mundus irrigandus, abstergendæ culpæ. Voluit ergo Dominus sitim pati, & ex pectore aquas non haurire: nè, si vel minimam potaret guttam, videretur aquam usurpare, quæ hominum commo deserviret: pluris faciens subditorum commoda, quam sua. Castilho Illat. 27.

#### Ex Patribus, & aliis.

Deformitas Christi te format: ille enim si deformis esse noluisse, tu formam, quam perdidisti, non recepisses. Pendebat ergo in cruce deformis; sed deformitas illius pulchritudo nostra erat. S. August. l. 20. de Verb. Ap.

Ille maledictum in Cruce factus, ut tu benedictus esses in Dei regno. S. Ambros. ep. 47.

Mortuus est, ut tibi immortalitatem donaret: esuriit, ut te suâ carne satiaret: sitivit, ut te proprio potaret sanguine: super asinum sedit, ut te super Cherubim sedere faceret. S. Chrysost. l. de Cruce Dominica.

Pater! ego moriar, ut non moriantur omnes. Pater! ego Adæ debitum solvam, ut per me tibi vivant, qui per Adam moriuntur inferno. Pater! propter sententiam tuam ego meum sanguinem fundam; tantum est, ut ad te tua redeat creatura; pretium chari tibi sanguinis mei redemptio sit omnium mortuorum. S. Chrysost. l. 65.

Solus descendit ad inferos, cum multis indè ascendit. Cyrill. Jerof. Catech. 14.

Illius exinanitio facta est repletio nostra; illius miseriæ, Mundi deliciae sunt. S. Bernardus l. 4. in assumpt. B. V.

Rebecca Apostolicâ, ut sic loquar, animi magnitudine prædita, imprecationem suscipere minimè dubitavit ut ipsius filius benedictionem consequeretur. Atque bonis quidem ipsi cedebat; mala autem ipsa sola sufferre parata erat dicens: *in me sit ista maledictio fili mi.* Gen. 27. 13. S. Isid. Pelus. l. 2. ep. 58.

Non serviam, inquit homo Creatori: ego igitur serviam tibi, inquit Creator homini. Tu recumbes, ego ministrabo; ego tibi pedes lavabo. Tu quiesce; ego labores tuos feram, infirmitates portabo: utere me in omni necessitate tua; non modò ut servò tuò, sed etiam ut jumentò tuò, ut peculiò tuò. Si fatigatus, aut oneratus es; ego te, & onus tuum, feram: si esuris, aut sitis; & ad manum fortè nihil melius habes; ecce ego paratus immolari, ut carnes meas comedas, & sanguinem bibas. Si in captivitate ductus es; ecce ego vendo me, teque pretiò mei, vel me ipsò pretiò redime. Si infirmaris, & mori times; ego moriar pro te, ut de sanguine meo conficias tibi medicamenta. Guarrius Abb. l. 1. de ram. Palm.

O verè mira, & miranda dignatio! accepit necem, reddidit salutem: pertulit injurias, tribuit honores: dolorem sumpsit, contulit sospitatem. Et solus, & summè pius; qui dulcia præstitit; cum amara susceperit. Cassiod. in Pl. 30.

Constituisti tuum amorem in cruce, felle, & aceto; nostrum verò in melle, & dulcedine. Stella deam. Dei Medit. 6.

Aquæ amara omnes sunt in mari, & ex his exeunt omnes aquæ dulces. Sic in Christo fuerunt omnes amaritudines, & afflictiones simul: attamen ex hoc mari mera nobis dulcedo, & consolatio, profluxit. Diez Passio Domini.

Anchora. Lem: *Nè mergatur immergor.* Jon. 1. 12. *tollite me, & mittite in mare; & cessabit mare à vobis.* Picinelli,

Num 3.

#### Patientis amor causa tristitia, & agonia.

Et quis tristitiam mortis intulit in animam ipsiusmet vitæ, nisi amor? qui excitans commiserationem, per illam traxit nostras miseras in eximium cor suum. Verùm volupe illi est, amore mei ferre tormenta: quin & lætus moritur, dum dolore moritur, ut vivam ego. S. Franc. Sales. de div. am. l. 5. c. 5.

Hæc tristitia magnitudinem prætendebat amoris: ut in tantum nos sciamus diligi, ut tristetur pro nobis læticia. Nemo tristatur, nisi de damno dilecti: æquâ namque lance appenditur in animabus hominum circa eandem rem amor, cum adest; dolor, cum abest.

abest. Licet plena ratio naturalis non possit reddi de tam stupendo doloris signo offenso in sudore sanguineo; nihilominus dici potest, quod aliquantulum dispositivè timor, & amor, bellantes in corde Jesu, quoad suum sensitivum in causa extiterunt. Dum enim attenderet, tam grave bellum super se verissimè immineret; timore concussit sensitivum suum, ex quo sanguineus humor fuit ad interiora reductus. Super hunc autem timorem rejiciendum fortissimus, & serventissimus amor, tanquam mira magnitudinis malleus repercutiens, & ipsum excludens, omnes poros corporis Jesu Christi, & venam largiter relaxavit: ut sic de toto corpore flueret sanguineus sudor decurrens in terram. S. Bernardinus t. 1. l. 55. art. 1.

Num. 4.

*Passio indigna personâ, non amore.*

Amor, cum ingreditur in alicujus cor, efficit, ut indigna ipsò operante faciat; sed non ipsò amore indigna. Ignis suò calore efficit, ut aqua fervens faciat illa, quæ ipsi aquæ sunt contraria; sed non igni: aqua enim, quæ de se frigida est, conceptò calore ignis fervet, ebullit, saltat; quæ omnia ipsi aquæ, non autem igni, qui ea operatur, sunt adversa. Sic Deum flagellari, crucifigi, & opprobrijs affici, res quidem fuit indigna personâ Filij Dei; sed non indigna amore ejus, qui talia patiebatur &c. Dicitur amor Dei erga hominem.

Num. 5.

*Pati amoris signum.*

*Si dederit homo omnem substantiam domus pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Cant. 8. 7. Substantiæ, opum, & divitiarum, profusionem nihil aestimat; luculentius sui amoris testimonium requirit. Doultreman de am. l. 2. amor patiens.

Nullum fortius, evidentiusve, testimonium amoris est, quàm damnum propter amicum. Unde nihil facis fuit diabolo, ut crederet, quod Job Deum diligeret, nisi ipse sanctus vir in seipso, in carne sua, aliquid pateretur. *Qui negligit damnum propter amicum, justus est.* Prov. 12. 26. Et Paulus Hebr. 12. 4. *nondum usq. ad sanguinem vestristis;* necdum manifesta indicia vestri amoris exhibuistis; cum adhuc nihil propter amicum passus estis. Multa quidem, & maxima beneficia à divina bonitate homo acceperat, quæ testimonium dabant divini illum amoris: sed hæc quid impendij, aut laboris, dederunt? *ipse dixit, & facta sunt;* præter verba nullos alios sumptus fecit. At postquam mortali nostrâ carne indutus dolores, & patibulum, tulit; & à planta pedis usque ad verticem capitis percussus fuit; jam majora homo testimonia accepit divini amoris. Dicitur Contemplatio vitæ Christi.

Num. 6.

*Patitur in suis.*

*Quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Il. 53. 7. Flagellatur, & tacet; spinis coronatur, & silet &c. At alapa percussus, modeste præter morem querulus, ait: *si male locutus sum.* Joan. 18. 23. Cur id? quia major injuria. Unde precor? Philo Carpath, ad c. 5. Cant. genæ Christi, Martyres sunt Ecclesiæ. Illud vulnus patientissimo agno gravius; cum Martyres dilecti verberantur. Escobar t. 3. Colloqu. Chr. l. 11. sect. 1. obs. 3.

*Primogenitus mortuorum.* Apoc. 1. 5. S. Ambrosius hic: quomodo Christus primogenitus mortuorum dicitur, cum ipse in fine temporum sit natus; adventumque ejus innumerabilis, multitudo hominum, præcesserit? sed primogenitus propriè mortuorum ponitur; sicut primos in populo eos vocamus, qui non ætate, sed honore, & dignitate, cæteros antecellunt. Primogenitus ergo mortuorum Christus est: quia ipse est primus, & caput omnium Electorum suorum. Auditis Christi miraculis Herodes ait: *quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis surrexit.* Marci 6. 16. Quid habet Joannes cum Christo, ut rex Joannem à mortuis surrexisse putet? Respondet Chrysostomus, l. 17. Verum dicit: nam, sicut in Christo sui resurgunt, ita in suis ipse patitur Christus: & sicut honor capitis ad membra pertendit; ita membrorum pœna ad dolorem capitis, ad capitis redundat injuriam. Cassillo Illat. 67.

Audistis, Christum Agnum vocari; qui occisus est ab origine Mundi? Apoc. 13. 8. Quomodo ab origine orbis occidi potuit, qui post secula sanguinem fudit? nisi quia in Agno Abele Pastor ipse, & agnus, patitur. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 1. sect. 4. obs. 3.

§. VIII.

*Patientis misericordia.*

*Cum venisset Bethphage ad montem Olivæ.* Matth. 21. 1. Cum ad Passionem Christus venit, per montem transit olivarum, id est, per summam misericordiam. Orosius Dom. Palm.

*In villam, qua dicitur Gethsemani.* Matth. 26. 36. Gethsemani idem est, quod *torcular olei;* in hac enim villa videtur fuisse torcular, ad quod olivæ in oliveto copiosè provenientes deferbantur, ut in eo premerentur ad exprimendum oleum. Ibidem ex agonia expressus est sanguis Christi; quò quasi oleo reficimur, unguimur, pascimur. *Oleum effusum nomen tuum.* Cant. 1. 2. Cornelius hic.

Crucifixus fuit patiens, ut vocaret ad penitentiam immanes peccatores. S. Chrysostomus in Ps. 2.

§. IX.